

CASSANDER SYCAMBRORVM REX.



Cassander ob generis claritatem, & uirtutum excellentiam decimus quintus Sycambrorū rex electus est, Anno mundi termillesimo octingentesimo septuagesimo. Eius tempore Borbista fortissimus Gothorū rex in Teutones erumpit. Verū Cassander, Arachiū Saxoniae & Hamer Thuringiae principes in auxilium ascitis, Gothos praelio superauit, & retrocedere coëgit. Itaque factum ut postea pacificè suam ditionem administrarit, donec tandem anno regni uicesimo, uitam cum morte commutarit, & Antharium successorem acceperit. Trit. Func. Chronologia,